Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Joannes Christianus Gottlob Klipstein

Dissertatio Inavgvralis Botanica De Nectariis Plantarvm

Ienae: Litteris Fickelscherrii Haered. Et Stranckmanni, [1784]

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn186029149X

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

J. Roeper.

DISSERTATIO INAVGVRALIS BOTANICA
DE

NECTARIIS PLANTARVM

QVAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE REL.
AVCTORITATE GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRO GRADV DOCTORIS
MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

D. XI. OCTOBR. MDCCLXXXIV.

PVBLICE DEFENDET
AVCTOR

IOHANNES CHRISTIANVS GOTTLOB
KLIPSTEIN
IENENSIS.

IENAE
LITTERIS FICKELSCHERRII HAERED. ET STRANCKMANNI.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Nc - 7902. Caps. Nc. 10a. Nectaria

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn186029149X/phys_0001
DFG

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO

GEORGIO THOMAE

LIB. BAR. AB ASCH

AVGVSTISSIMAE AC POTENTISSIMAE RVSSIARVM IMPERATRICIS

CONSILIARIO STATVS

EXERCITVVM RVSSICORVM MEDICO PRIMARIO

COLLEGII MEDICI PER RVSSICVM IMPERIVM MEMBRO PRIMARIO

ACADEMIAE SCIENTIARVM IMPERIALIS PETROPOLITANAE ELECTORALIS MOGVNTINAE

REGIAE SOCIETATIS SCIENTIARVM GOTTINGENSIS

MEMBRO HONORARIO ALIARVMQVE SOCIETT.

LITTER. SODALI

VIRO

DE VNIVERSA SCIENTIA MEDICA MERITISSIMO

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn186029149X/phys_0003
DFG

STVDIORVM ACADEMICORVM PRIMITIAS

SVMMA ANIMI PIETATE

OFFERT

DEVOTISSIMVS CVLTOR

IO. CHRISTI. GOTTL. KLIPSTEIN.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn186029149X/phys_0004
DFG

PROOEMIVM

Quum de scribendi argumento meditarer, varia se mihi obtulerunt, quae partim ab aliis sufficienter tractata iam erant, partim vberiorem dilucidationem mihi videbantur requirere, quam breui mihi dato tempore, et rerum mearum conditione licebat.

bat. Tandem iucundo botanices ſtudio, quod a prima pueritia in deliciis habui, incitatus, argumentum elegi botanicum. Certiſſime autem perſuaſus, Naturam nihil fruſtra facere, nectaria eorumque ſtructuram contemplatus ſum, vt vſum illorum propius cognoſcerem. At parum in tam obſcura re experimentis et ratiociniis meis abſoluere potui. Forte noua experimenta, continuataque meditatio in poſterum rem magis illuſtrabunt. Accipe igitur L. B. primitias ſtudiorum meorum academicorum, et aequo animo primam ſcribendi diiudica tentamen!

De nectariis in genere.

Quantum tota hiſtoria naturalis et in ſpecie regnum vegetabile Perilluſtr. Equiti a Linne, cuius cineres Saecula venerabuntur, debeat, neminem ſane, ne tyronem quidem, fugere poteſt. Quanta enim Eius ſolertia in detegendis Naturae miraculis fuerit, qualemque ingenii vim adhibuerit, quilibet, cui veritas ſancta eſt, libere profidebitur. Inter Eius inuenta quoque numeranda eſt, nectarii accuratior

ratior notio et determinatio, quam nullus ante Eum habuit, vt ipse testatur, in *Philosophia botanica* p. m. 125. sequentibus verbis „*Nectarium ne nomine quidem notum erat, antequam idem determinauimus.*„ Sed hisce verbis, non vult sibi ipsi inuentionem ipsius nectarii tribuere, sed potius nomen et accuratiorem eius determinationem. Nam nisi sic eius verba essent explicanda, errasset omninovalde summus Vir. Nouit enim beue nectarium, iamdudum *Iulius* PONTEDERA, sub receptaculi nomine. Et quoniam eius scripta non omnibus ad manus sunt, quaedam loca ex iis, hoc dilucide probantia, referre liceat. In *Dissertat. botanicis*, Diss. II. p. 33. „*Succus*, inquit, *in corpusculum, cui pelala et stamina affiguntur, deponitur, quod nos, cum nomine adhuc careat, receptaculum in posterum appellabimus -- caeterum de hoc promptuario, mellificant apes et plurima insecta victitant.*„ Quis est, qui negare possit, nectarium sub receptaculi nomine describi? Porro in *Anthologia*, siue de floris natura, Patauii 1720. 4. Cap. XII. p. 26. „*Voco itaque receptaculum corpus quoddam figura dissimile atque varium, cui stamina atque*

que petala adhaerent et in quod, tum apicum tum petalorum succus corriuari solet, vt a receptaculo sensim embryoni subministretur.„ Satis clare hoc loco LINNAEI *nectarium* depingitur. Et nisi tam angustis limitibus circumscriptus essem, plura ex PONTEDERA proferre loca possem, vbi aperte loci cuiusdam mentionem facit, in quem nectar deponitur. Ex his omnibus clare patet, b. LINNAEI sententiam non fuisse, se inuentorem esse nectariorum, sed se tantum ordinasse ea, quae nota iam erant, hisque de suis multa addidisse, et nectarii nomen constituisse. Sunt quidem nonnulli, quibus nectarii vocabulum non placuit; sed quis est, qui talia scribere possit, quae omnibus placeant?

Nectarii definitio.

Ipsum vero audiamus Perill. LINNAEVM quid per nectarii vocabulum intelligat. „*Nectarium* inquit, *est pars mellifera flori propria.*„ In *Philosoph. botan. p. 53. n. 9.* Hanc a summo Viro prolatam definitionem sic explicare liceat, quod per nectarium intelligamus illum floris locum, quo partim, vario

modo

modo, nectar ſecernitur et praeparatur, partim vero conſeruatur.

Secretio Nectaris.

In plerisque autem floribus, Natura, e vaſis ſubtiliſſimis plantae et in ſpecie floris, ſecernit liquidum ſubtiliſſime praeparatum, dulce, pellucidum et albicans, cui, ob gratiam ſaporis, LINNAEVS impoſuit *Nectaris* nomen, Celeb. PONTEDERA vero id vocat Colliquamentum floris, vel amnii liquorem.

Huius nectaris ſecretio, ſingulari naturae artificio ſequenti modo perficitur:

I. Glandularum ope, quibus natura flores tanquam vtilibus colatoriis ad hunc ſuccum ſecernendum donauit. Sic, vt exemplis hoc illuſtrem, Heſperis, inter ſtamina duo breuiora et piſtillum glandulis nectariferis gaudet et totidem inter ſtamina longiora et calycem. Alia exempla produnt Sinapis, Cleome, Braſſica et Arabis.

II. Poris in quibusdam plantis maioribus in quibusdam minoribus. Hyacinthus conſpicuas prae

reliquis tres in germine habet poros nectar ſecernentes.

III. Exhalatione ſeu Tranſſudatione per internam Corollae et Calycis laminam. Hic nectar in *fundo* Corollae, praeſertim in floribus tubuloſis et in petalorum latere interno deprehenditur, et tamen nec armatus quidem oculus glandulas aut ductus Secretorios detegere poteſt. Exempli cauſſa nomino, flores tubuloſos, vt Lycium; hoc enim concuſſum guttas III-IV. nectaris ſtillat; ita quoque alii, vt Aloe, Agaue rel. Monarda. Hae ſunt praecipuae viae, quas ſibi Natura ad nectaris ſecretionem elegit.

De variis Nectariorum ſpeciebus.

Quemadmodum in ipſa plantae fabrica innumerabili modo differt Natura, dum varia ſecretionis et abſorptionis organa, mox in hunc, mox in illum locum ſepoſuit, mox maiora floribus dedit, mox minora: ſic eadem ſibi permittit, in artificioſa nectariorum ſtructura.

Non

Non igitur unum eundemque locum in omnibus floribus pro nectare illo Natura constituit; ita quoque differt mirabilem in modum structura et figura nectariorum. Quae omnia vt accuratius exponantur, a scopo nostro non alienum esse videtur. Sed omnibus ambagibus omissis, rem ipsam aggrediamur.

In nonnullis floribus, Natura certas partes, ab omnibus floris reliquis partibus, id est a Corolla, Calyce et genitalibus distinctas, ad dulcem illum succum conseruandum atque praeparandum singulari modo produxit, quibus nonnulli *nectarii proprii* nomen imposuerunt.

Talia, qui cernere cupit, distincte ea videbit, in Helleboro, vbi plura nectaria breuissima, in orbem posita, monophylla, tubulata, inferne angustiora, ore bilabiato erecto, emarginato interiore breuiore cernuntur. In *Aquilegia* quinque, totidem in *Parnassia*, in Nigella octo, et in pluribus aliis occurrunt.

Aliam Nectariorum speciem constituunt *Nectaria calcarata*, quae a figura nomen suum acceperunt. In quibusdam enim floribus Corollae quaedam aut

Calycis productio, calcaris instar, ita incuruatur ut aptam nectario formam atque sedem constituat. Tali modo incuruatur.

A. *Calyx* in Tropaeolo

B. *Corolla*

a. Florum monopetalorum: *Antirrhinum*, *Valeriana.*

b. Florum polypetalorum: *Delphinium*, *Impatiens*, *Viola*, *Fumaria.*

Haec calcaria I. PONTEDERA *) credidit, tantum ad Nectaris conseruationem adesse, nimirum vt tempore oportuno, embryo seu germen inungatur, succum vero ipsum in receptaculo separari, in hoc vero loco, quoniam receptaculum eum capere non possit, ad usum antea indicatum seruari. Comparauit igitur hancce speciem nectariorum cum appendicula vermiformi in hominibus, quam etiam ad intestinum caecum eam ob caussam appositam credit, vt succum, quem secernit, ad inungendum intestini parietem transmittere possit, ne fortasse feces intestino

*) *Anthol.* L. I. C. XXI. p. 49.

testino nimis adhaereant. Num vero haec comparatio ad nectaria adplicari possit, facile quisque perspicere potest.

Nectaria petalina S: *petalis Corollae interne* adsidentia.

Horum sedes est.

a. in *vngue* petalorum: *Ranunculi* species, *Fritillaria*, *Berberis*, cet.

b. in *lamina* petalorum, vbi formant lineam longitudinalem, tubulosam a basi ad medium petalorum se extendentem, quae est in margine

I. *laevis:* In *Ixiae* petalis alternis.

II. *barbata: Liliorum* quaedam species.

Nectaria receptaculacea, vbi nectar in receptaculo secernitur ac custoditur. Eiusmodi nectario plurimi flores monopetali sunt praediti. Id videmus in plurimis supra nominatis, sic etiam in *Mirabili* et *Campanula*. Magis mihi videtur ad hanc speciem pertinere nectarium Campanulae, quam ad

 necta-

nectaria filamentosa, vt vult beat. Linnaevs in *philos. bot.* p. 74. Valuulae enim Campanulae quinque non constituunt nectarium, sed istae partes, quas valuulas nectarium constituentes esse credidit, nihil aliud sunt, quam bases filamentorum germen includentes. Secernitur potius nectar annulo glanduloso qui in fundo conspicitur. Conf. Ill. Medicvs *Botanische Beobachtungen* vom Iahr 1782 *Mannheim* 1783. 8. p. 276.

Haec erant praecipuae atque primariae nectariorum species, quas recensere instituti nostri ratio postulabat. Caeterum Linnaevs adhuc sequentes numerat species, quas hic breuissime recensebimus.

I. *Nectaria staminea* vbi

1. Insidet glandula antheris, vt in *Adenanthera.*

2. Filamentis: *Dictamnus*, *Plumbago*, *Commelina?* vid. Medicvs l. c. p. 190.

II. *Pistillacea germinis. Hyacinthus*, *Cheiranthus*, *Hesperis*, *rel.*

Quod

Quod reliquum est, a diuersa figura, similtudine cum aliis rebus, qualitate et attributis, varia nectariis imponuntur nomina; sic v. g. nominantur *nectaria Cyathiformia:* Vrtica, *N. cylindraceum* Melia? v. Medicvs lib. cit. *Campanulata:* Narcissus, *urceolata*: Cimicifuga, *pedicellata*: Aconitum.

De usu Nectariorum respectu Plantae.

Ardua et perdificilis profecto res est, vsum rerum naturalium accurate determinare; magnae saepissimae difficultates in experimentis, quae eam ob rem instituimus, nos impediunt et omnem operam nostram reddunt inanem. Accedit interdum etiam ea et maxima sane difficultas, vt neque experimentis, neque ratiociniis aliquid, quod verosimile tantum videatur, eruere possimus. Idem quoque valet de vsu nectariorum. Tacent viri rei herbariae peritissimi, experientia non multum docet. In tali igitur caligine, cum accurata notio, circulationis atque seet excretionum fluidorum in plantis plurima ex parte nobis deficiat et experimenta etiam hunc in finem instituta frustranea fere sint, nihil omnino certi determinare possumus.

Per

Per duos annos varia experimenta cum floribus inſtitui, vt mihi accuratiorem aliquam de nectaris vſu, notitiam acquirere poſſem, ſed omni adhibita ſollertia, nihil amplius inuenire potui, quam ea, quae ſequuntur:

I. Nectarii vſum non conſiſtere in vegetatione floris aut plantae, ſiue non ad vitam eius eſſe neceſſarium, vt PONTEDERA in quibusdam locis credere mihi videtur. Vt vero de hac re me certiorem redderem, vario tempore, diuerſis plantis experimenta inſtitui, et ea ſedulo repetii. Subtili cultello, omni adhibita cura, ne partes fructificationis laederem, diſcidi nectaria Hellebori viridis, et non ſolum florem, ſed etiam ipſam plantam quotidie ſaepiſſime contemplatus ſum, vt omnem, ſi quae accideret, mutationem, accurate obſeruare, poſſem ſed nihil eò experimento detrimenti flori accidit; viguit vt antea, et ne veſtigium quidem mutationis in eo deprehendere potui. Reſecui quoque. et deſtruxi nectaria calcarata Tropaeoli minoris et maioris, neque vllum vegetationis impedimentum iſta deſtructione ortum eſſe vidi. Idem periculum feci, cum Hellebori ceteris ſpeciebus, cum

Ni-

Nigella, Parnassia, Aconito rel., et semper inueni vegetationem floris et plantae dissectione aut destructione nectariorum nullo modo esse turbatam.

II. Dubia omnino est Iul. Pontederae hypothesis, de nectariorum et nectaris vsu. Credit nimirum nectar similitudinem habere cum liquore amnii in regno animali, illudque ad conseruationem, fertilitatem et vitam embryonis summopere esse necessarium, nec sine illo embryonem in regno vegetabili vigere posse. Fingit sibi hunc in finem vterum in plantis, quo liquor suus nouus amnii contineri possit.

Sine hoc embryonem suum viuere posse, plane negat. Sed ipsa illius verba audiamus, deinde, dubiam esse eius hypothesin, monstrabimus:

Anth. L. I. c. XVIII. „Hic succus, est ille liquor, „qui ex receptaculo manat, et circa embryonem colligi„tur, eumque mollem seruat et inungit, quo facilius, „embryonis partes explicentur atque distentantur. — „Embryo hoc succo priuatus, aere et solaribus radiis „exsiccatur, et saepe sine fructu contabescit.„ Verum

sequentia experimenta me docuerunt, omnino dubiam esse hanc sententiam: Omnia Hellebori nectaria destruxi, antheris adhuc clausis et polline nondum sparso. Descidi quoque nectaria plantarum paulo ante nominatarum, flores tamen vigentes, summo meo gaudio, semina perfecta produxerunt, quae sequenti anno iterum seminaui, et plantas inde, quae fertili semine gaudebant, accepi.

Vberius vero hanc sententiam PONTEDERAE refutat b. LINNAEVS in *Phil. bot.* p. 73. n. 110. Sufficiant haec pauca de nectariis plantarum. Plura quidem adhuc essent dicenda, sed breuibus circumscriptus limitibus, finem huic opusculo imponere cogor.

VIRO
NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO DOCTORANDO DIGNISSIMO
AMICORVM CARISSIMO
S. P. D.
FRIDERICVS FERDINANDVS
BRETSCHNEIDER
IENENSIS MED. CVLT.

Ab ineunte statim pueritia, animorum summus consensus ita arctissimo amicitiae vinculo nos iunxit, ut ea inseparabilis evaderet; nam etiam tempus rerum edax, eam extinguere non potuit. GERA, ubi fata me per novem annos retinuerant, in patriam redux, TE iterum illum sincerum amicum inveni, quem reliqueram. Floruit maxime amicitia nostra per dulce illud quinquennium, quo communi artis salutaris studio delectabamur. Huius temporis memoria per totam meam vitam sacra mihi erit atque iucunda. Publicum, amoris et amicitiae mihi hodierno die solemni exhibuisti documentum, dum dissentientis munus mihi tradidisti. Maximopere et ex toto pectore gaudeo, TE dignissimis diligentiae TVAE et industriae praemiis ornari. Denuo quidem, Amice Aestumatissime, separamur, sed spes, TE iterum videndi et amicitiam nostram continuandi, omnem lenit dolorem. Vale! Dab. IENAE d. XI OCTOBR. MDCCLXXXIV.

THE-

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn186029149X/phys_0019
DFG

THESES.

I.

Nulla sunt certa virginitatis signa.

II.

Docimasia pulmonum non certa est et indubitata.

III.

Exanthemata non a vermibus oriuntur.

IV.

Miasma Gonorrhoeae vere venereum est, in sanguinem revehi potest et morbos venereos gignere.

V.

Vomitorium statim post iram datum, venenum.

VI.

Cancer verus exulceratus non solis medicamentis, sed potius exstirpatione est curandus.

VII.

Foetus in utero deglutire nequit.

VIII.

Mercurius sublimatus corrosivus interne a medico cauto, tuto et non sine emolumento in morbis venereis adhiberi potest.

IX.

Vesicatoria in morbis putridis non sunt applicanda, nisi statim in initio fiat.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn186029149X/phys_0020
DFG

Per duos [illegible] experimenta cum floribus inſtituï, vt mihi [illegible]n aliquam de nectaris vſu, notitiam acquirer[illegible]ſed omni adhibita ſollertia, nihil amplius inuen[illegible]quam ea, quae ſequuntur:

I. Nectarii vſu[illegible]ſtere in vegetatione floris aut plantae, ſiue n[illegible]n eius eſſe neceſſarium, vt PONTEDERA in quib[illegible]credere mihi videtur. Vt vero de hac re me[illegible]edderem, vario tempore, diuerſis plantis ex[illegible]ſtituï, et ea ſedulo repetii. Subtili cultello, [illegible] cura, ne partes fructificationis laederem, d[illegible]a Hellebori viridis, et non ſolum florem, ſe[illegible]n plantam quotidie ſaepiſſime contemplatus [illegible]nem, ſi quae accideret, mutationem, accurate [illegible]offem ſed nihil eò experimento detrimenti flor[illegible]uit vt antea, et ne veſtigium quidem mutationi[illegible]rehendere potui. Reſecui quoque. et deſtru[illegible]calcarata Tropaeoli minoris et maioris, neque[illegible]tationis impedimentum iſta deſtructione ortun[illegible]Idem periculum feci, cum Hellebori ceteris [illegible]cum Ni-

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn186029149X/phys_0021
DFG